

Et transiens inde, uenit in sinagogam eorum. Et ecce homo habens manum siccam.

Commented [ND1]: [fol.138rb]

Rursus in sabbato curat, pro his quae a discipulis facta erant, excusando respondens. Et alii quidem euangelistae aiunt, quoniam statuit hominem medium, et interrogauit eos, si licet sabbatis bonum facere. Inspice autem bonam eius uiscerum commotionem, statuit eum medium, ut uisu eos inflectat, ut confracti inspectione pernitiam proiciant, et ob hominem uerecundantes quiescant a feritate. Sed illi immansueti et odiosi magis eligunt christi gloriae nocere, quam hunc uidere saluatum, alterutrinque demonstrantes pernitiam, et in preliando cum christo, et cum tanta altercatione, ut et aliorum beneficia uexent. Alii igitur euangelistae aiunt, quoniam ipse interrogauit, hic autem quoniam interrogatus est. Et interrogauerunt eum ait dicentes, si licet sabbatis curare, ut accusent eum. Decens autem est utraque facta esse. Abhominabiles enim existentes et uidentes, quoniam ueniet omnino ad medelam, interrogatione preuenire eum studebant, expectantes ita prohibituos esse. Ideoque interrogabant si licet sabbatis curare. Non ut discant, sed ut accusent, quamuis sufficiebat opus, sic tamen uolebant accusare. Sed et per uerba uolebant captionem inuenire, copiositatem sibiipsis assumptionum preparantes, filanthropos autem id est amator hominum, et hoc facit et respondet erudiens propriam mansuetudinem, et ad eos omnia conuertens, et monstrat eorum inhumanitatem, et statuit hominem medium, non formidans eos, sed proficere studens, et in misericordiam immittere. Vt autem neque ita inflexit, tunc contristatus est ait, et iratus est eis propter duritiam cordis eorum, et ait. Quis est homo ex uobis, qui habebit ouem unam, etsi ceciderit haec sabbatis ingurgitem, nonne tenebit eam et eriget? Quanto igitur differt homo ab oue? quare licet sabbatis benefacere. Vt enim non habeant non uerecundari, neque transgressionis rursus incusare, sillogizatur in eos per exemplum hoc. Tu autem michi intende qualiter uarie et coalternatim ubique excusationes de solutione sabbati, inducit. In caeco enim neque excusando respondet eis, quando lutum fecit, quamuis et tunc incusabant, sed sufficiebat creationis modus monstrare legis dominatorem. In paralitico autem cum lectulum portauit et incusabant, nunc quidem ut deus, nunc autem ut homo respondet. Vt homo quidem cum dicat. Si circumcisionem habet homo in sabbato, ut non soluatur lex. Et non dixit ut expediat homini, michi irascimini, quoniam totum hominem sanum feci? ut deus autem ut cum dicat pater meus usque modo operatur, et ego operor. Pro discipulis autem incusatus, dixit. Non legistis quid fecit dauid, et qui cum eo, qualiter intrauit in domum dei, et panes propositionis commedit? et sacerdotes in medium inducit. Et hic rursus quoniam licet in sabbato benefacere uel malefacere? Quis ex uobis habebit ouem unam? Nouerat enim eorum auaritiam, quoniam hoc magis erant, quam amatores hominum, quamuis alius euangelista ait, quoniam et circuminspexit, hec interrogans, ut et oculo eos euellat. Sed neque ita facti sunt meliores, quamuis hic loquitur solum. Alio autem multis in locis, et manus imponens curat, sed tamen nichil horum eos facit mites, sed homo quidem curabatur. Illi autem per sanitatem huius deteriores facti sunt. Ipse enim uolebat ante illum curare illos, et decem mille mouit modos medicinae, et per ea quae ante fecit, et per ea quae dixit. Quia autem insanabiliter iam egrotabant, ad opus processit, tunc dicit homini. Extende manum tuam, et extendit. Et restituta est sana sicut alia. Quid igitur illi? exeunt ait, et consiliantur, ut interficiant eum. Pharisei enim ait exeuntes,

Commented [ND2]: [fol.138va]

Commented [ND3]: nondum add. super lin.

Commented [ND4]: argumentationum add. super lin.

Commented [ND5]: [fol.138vb]

Commented [ND6]: uel conuenienter add. super lin.

Commented [ND7]: respexit add. super lin.

Commented [ND8]: attrahat add. super lin.

consilium acceperunt aduersus eum, ut eum perdant. In nichilo in iusta patientes, interficere temptabant, tantum malum est emulatio. Neque enim alienis solum, sed et familiaribus semper aduersantur. Marcus autem ait, quoniam cum herodianis hoc consiliati sunt. Quid igitur mansuetus et mitis? Recessit haec discens. Ihesus autem cognoscens cogitationes eorum, recessit ait inde. Vbi igitur sunt qui dicunt quoniam signa fieri oportebat? per haec enim ostendit, quoniam ingrata anima, neque hinc persuadetur, et manifestauit, quoniam et discipulos inaniter incusabant. Illud quippe obseruare oportet, quoniam maxime ad beneficia proximorum siluestres efficiuntur. Et cum uiderint aliquem uel ab egritudine uel a malitia erutum, tunc et incusant, et feroces efficiuntur. Etenim quando meretricem saluare oportebat, detrahebant ei, et quando cum publicanis comedit, et nunc rursus, quia manum restitutam uiderunt. Tu autem michi intende, qualiter neque a procuratore infirmorum desistit, et illorum mitigat inuidiam. Et secutae sunt eum turbae multae, et curauit eos omnes. Et increpauit eos qui curati erant, ut nulli manifestum eum faciant. Turbae enim ubique et ammirantur et secuntur. Illi autem a pernitie non desistunt. Deinde ut non tumultueris in his quae fiunt, et in inopinabili insania eorum, inducit et prophetam haec predicentem. Tanta enim erat prophetarum diligentia, ut neque haec derelinquant, sed et uias eius et transitus prophetent, et consilium cum quo haec faciebat, ut discas quoniam omnia spiritu loquebantur. Si enim hominum ineffabilia impossibile est scire, multo magis christi intentionem impossibile erat discere non spiritu reuelante. Quid igitur propheta ait? Induxit itaque ut impleatur quod dictum est ab ysaia propheta. Ecce puer meus quem elegi, dilectus meus in quem acceptauit anima mea. Ponam spiritum meum super eum, et iudicium gentibus annuntiabit, non litigabit, neque clamabit, neque audiet aliquis in plateis uocem eius, arundinem contritam non confringet, et linum tumidum non extinguet, donec emittat in uictoriam iudicium suum, et in nomine eius gentes sperabunt. Mansuetudinem eius et uirtutem ineffabilem laudat, et ianuam gentibus magnam et nobilem aperit, et assumptura iudeos mala predicat, et monstrat eius concordiam quae est ad patrem. Ecce ait puer meus quem elegi, dilectus meus in quem acceptauit anima mea. Si autem elegit, non ut aduersans soluit legem. Neque ut inimicus existens legislatoris, sed ut concordans, et eadem agens. Deinde humilitatem eius diuulgans ait, neque litigabit, neque clamabit. Ipse enim uolebat curare in eis. Quia uero renuebant, neque ad hoc restitit, et ostendens et suam uirtutem et illorum imbecillitatem ait. Arundinem contritam non constringet. Etenim erat facile uniuersos eos, sicut arundinem frangere, et neque simpliciter arundinem, sed iam contritam et linum inflatum non extinguet, hic et illorum furorem accensum representat, et huius uirtutem sufficientem existentem, dissoluere furorem eorum, et extinguere cum uniuersa facilitate. Vnde multa mansuetudo ostenditur. Quid igitur semper haec erunt? et feret usque in finem eos qui talia insidiantur et insaniunt? Absit, sed cum sua ostenderit, tunc et illa operabitur. Hoc enim significauit dicens, donec emittet in uictoriam iudicium, et in nomine eius gentes sperabunt. Quemadmodum et paulus ait. Parati existentes ulcisci omnem inoboedientiam, cum implebitur uestra oboedientia. Quid autem est cum omiserit in uictoriam iudicium? cum ea quae a seipso sunt omnia compleuerit ait, tunc et ultionem inducit, et ultionem finalem. Tunc autem mala patientur, cum clarum statuerit tropheum, et uicerint quae ab ipso sunt iustificationes, et neque inuerecundam eis dereliquerit contradictionis occasionem. Nouit enim iudicium iusticiam dicere, sed non in hoc stabunt ea quae sunt dispensationis, ut puniantur qui non crediderunt solum, sed et orbem terrarum attrahet. Ideoque induxit, et in nomine eius gentes sperabunt. Deinde ut discas, quoniam et hoc secundum consilium est patris in proemio propheta, et hoc cum anterioribus fidei iussit dicens, dilectus meus, in quem acceptauit anima mea. Dilectus enim manifestum quoniam secundum consilium eius qui diligitur hec faciebat. Tunc attulerunt ei demoniacum caecum et mutum, et curauit eum. Vt caecus et mutus et loqueretur et

**Commented [ND9]:** [fol.139ra] eum *add. super lin.*

**Commented [ND10]:** uel mentem *add. super lin.*

**Commented [ND11]:** cogitationes *add. super lin.*

**Commented [ND12]:** dicente *add. super lin.*

**Commented [ND13]:** [fol.139rb]

**Commented [ND14]:** fumigans *add. super lin.*

**Commented [ND15]:** uel eos *add. super lin.*

**Commented [ND16]:** omnia facta exiit *add. super lin.*

**Commented [ND17]:** uel perfectam *add. super lin.*

**Commented [ND18]:** [fol.139va]

uideret. O de nequitia demonis, alterutrum ingressum oppilauit, per quem erat crediturus ille et auditum et uisum, sed tamen alterutros christus aperuit, et extasin in passae sunt turbae dicentes. Numquid hic est filius dauid? Pharisei autem dixerunt, hic non eicit demonia nisi in beelzebub principe demoniorum. Quamuis quid magnum locutus est, sed tamen neque hoc sustinuerunt, ita quod dixi semper in proximorum beneficiis tristabantur, et nichil ita eos tristabatur, sicut hominum salus. Sed tamen et recessit, et alleuari dedit passionem. Sed rursus accendebatur malum, quia rursus beneficium factum est, et magis demone molestabantur. Ille enim destitit a corpore, et recessit, et fugit, nichil loquens. Hii autem nunc quidem interficere temptabant. Quia enim ille non abscedebat, gloriam uolebant impedire.

**Commented [ND19]:** inuiciam *add. super lin.*

Tale quid est emulatio, qua non utique erit, malitia alia deterior. Adulter enim etsi uoluptate fruitur quadam, sed in breui tempore peccatum complet suum. Emulator autem eum qui inuidetur, seipsum punit, et in supplicium mittit, et numquam quiescit a peccato, sed continue est in id faciendo. Sicut enim porcus gurgite, et demones iactura nostra, ita et hic proximi letatur malis, etsi contigerit aliquod triste, tunc requiescit et respirat, et alienas calamitates propria gaudia existimans, et propria mala, aliorum bona, et non intuetur quid ei accidat delectabile, sed quid proximo triste. Hos igitur non lapidare dignum est, ut canes rabiem patientes, ut demones seductores, ut ipsas erinnas? Quemadmodum enim scarabei nutriuntur stercore, ita et hii aliorum infortuniis. Comunes quidam inimici et hostes naturae existentes, et alii quidem aequi occisi miserentur. Tu autem hominem uidens bene prosperantem, in ferocitatem promoueris, et tremis, et palles. Et quid hac insania fiet deterius? Propter hoc fornicatores quidem et publicani in regnum non potuerunt intrare. Emulatores autem intus existentes exierunt. Filii autem regni ait, extra mittentur, et illi quidem a nequitia quae premanibus erat eruti, his quae numquam putauerunt potiti sunt. Hii autem et quae habuerunt bona, perdiderunt. Et ualde decenter, hoc enim diabolum ex homine facit, hoc demonem siluestrem, ita primum homicidium factum est. Ita natura ignorata est, ita terra inquinata est, ita postea os aperiens terra, uiuos suscepit, et perdidit eos qui circa dazan et chore et abiron, et plebem illam uniuersam erant, sed accusare quidem emulatione diceret aliquis facilius esse. Oportet autem intueri, et qualiter eruentur ab egritudine hac. Qualiter igitur eruemur a nequitia hac? si excogitaremus, quoniam sicut ei qui fornicatus est, non fas est intrare in ecclesiam, ita neque emulanti et multo magis huic quam illi. Nunc enim et indifferens esse uidetur. Ideoque negligitur. Si autem manifestum efficeretur pernitiosum existens, facile desisteremus. Luge igitur et ingemisce, plora et roga deum, disce quod circa peccatum difficile dispositus es, et penitentiam age, etsi ita disponaris, uelociter erueris ab egritudine. Et quis ignorat ait, quoniam pernitiosum quid est emulatio? Ignorat quidem nullus, non tamen eandem de fornicatione et adulterio habent opinionem et de passione hac. Quando denique de seipso aliquis diffidit amare emulans? quando deum rogauit pro hac egritudine, ut fiat ei propitius? Nullus nunquam. Sed si ieiunauerit, et inopi dederit paruum argentum, etsi decemmilies emulator fuerit, nullum estimat fecisse malum, ab omnibus abhominabiliore detentus passione. Vnde igitur cain talis factus est? unde esau? unde filii laban? unde filii iacob? unde qui circa chore et dathan et abiron, unde maria, unde aaron, unde ipse diabolus? Cum his et illud excogita, quoniam non ei qui inuidetur iniqua agis, sed aduersus teipsum gladium impellis. Quid enim abel, iniqua egit cain? Illum quidem citius et nolens in regnum transmisit, seipsum autem decemmilibus circumfixit malis. Quid igitur ad iacob nocuit esau? nonne hic quidem ditabatur, et decemmilibus potiebatur bonis? Ipse autem et a paterna domo excidebat, et in aliena errabat post insidias illas. Quid autem filii huius, ioseph mali fecerunt? et maxime usque ad sanguinem deuenissent, nonne hii quidem et famem sustinuerunt, et de ultimis periclitati sunt,

**Commented [ND20]:** Morale xl. de emulatione sermo ualde utilis *notum in marg.*

**Commented [ND21]:** [fol.139vb]

**Commented [ND22]:** furias *add. super lin.*

**Commented [ND23]:** hoc id est *add. super lin.*

**Commented [ND24]:** maius *add. super lin.*

**Commented [ND25]:** uel innocuum *add. super lin.*

**Commented [ND26]:** [fol.140ra]

ille autem rex factus est uniuersae aegypti? In quantum enim inuideas, in tantum efficeris causa bonorum ei qui inuidetur. Deus enim est qui haec considerat. Et cum uiderit eum qui in nullo iniusta facit, iniusta patientem eum quid extollit magis, et facit ita clarum. Te autem punit. Si enim eos qui letantur in inimicis, non dimittit impune pertransire, ne supergaudeas enim ait in casu inimicorum tuorum, ne quando uideat deus, et non placeat ei, multo magis eos qui emulantur, illos qui in nullo iniusta fecerunt. Abscidamus igitur hanc multi capitis feram. Etenim multae species sunt emulationis. Si enim qui amantem se diligit, nichil plus habet publicano, qui in nullo iniusta facientem odio habet, ubi stabit? Qualiter autem effugiet gehennam, ethnicis deterior effectus? Ideoque ualde doleo, quoniam qui angelos, magis autem dominatorem angelorum imitari iussi sumus, diabolus zelamur. Etenim multa et in ecclesia est emulatio. Magis autem in nobis, quam in his qui reguntur. Ideoque nobisipsi loquendum. Cur enim emularis dic michi proximum, quoniam honore fruente uides, et **suauibus** uerbis? Deinde non excogitas quantum ferunt malum honores, his qui non attendunt, in uanam gloriam eleuantes, in tumorem, in elationem, in contemptum, desidiorem facientes, et cum his malis et marcescunt facile. Quod enim est diffillimum, hoc est, quoniam mala quidem quae sunt ex ipso immortalia manent. Delectatio autem simul apparuit et euolauit. Propter haec igitur emularis dic michi? sed potestatem habet apud regentem multam, et agit et fert omnia quo uult? et eos qui offendunt contristat, et eis qui adulantur benefacit, et multam habet uirtutem? hominum uitae huic et terrae affixorum sunt uerba haec, **spiritualem** enim nichil contristare poterit. Quid enim ei operabitur malum? deponet a dignitate? et quid hoc. Si enim iuste et expedit ei. Nichil enim ita exacuit deum, ut preter id quod dignum est consacrari. Si autem iniuste incusatio rursus in illum non in hunc procedit. Qui enim iniuste aliquid patitur, et uiriliter tolerat, ampliorem ita adipiscitur apud deum liberam propalationem. Ne igitur hoc attendamus, qualiter simus in honoribus et potestatibus, sed qualiter simus in uirtute et philosophia, quia potestates, multa eorum quae deo non **uidentur** facile suadent. Et ualde forti opus est anima, ut potestate in id quod oportet utatur. Qui enim priuatus est ea, et nolens et uolens philosophatur. Qui autem potitur ea, tale aliquid patitur, quale si aliquis cum puella habitans speciosa et pulchra, leges susceperit numquam in ipsam inspicere impudice. Tale enim quid est potestas. Ideo multos et nolentes ad iniuriandum immisit, et iram incitauit, et frenum lingue amputauit, et ostium oris euulsit, sicut a uento animam **flabellans**, et in ultimum malorum profundum eam submergens. Cum igitur qui in tanto periculo est ammiraris, et **zeloten** esse ais? et **quantae** dementiae, haec sunt. Excogita nempe cum predictis, quot inimicos et accusatores, quot autem adultores, **hic** habet debellantes eum. Haec igitur dic michi, beatificationibus sunt digna, et quis hoc diceret, sed apud populum ait, approbatur? et quid hoc? Non enim utique populus est deus, a quo debet noxias habere, quare cum populum dicas, nichil aliud dicis, quam promunctoria quedam, et scopulos, et fluctuosa saxa. Approbari enim in plebe, quanto clariorem facit, tanto maiora habet pericula, sollicitudines, tristitias. Respirare enim hic talis aut stare uniuersaliter non potest, amarum habens dominatorem. Et quid dico stare et respirare? etsi enim decem mille habet directiones hic talis, difficile in regnum ingreditur. Nichil enim ita succumbere facere assueuit, ut gloria quae est a multis, timidos, ignobiles, adultores, hypocritas faciens. Quare igitur pharisei christum dixerunt demoniacum? nonne quia gloriam quae est a multis concupiscebant? Vnde autem multitudo rectam de ipso ferebat sententiam? nonne quia hac non detinebatur egritudine? Nichil enim ita facit iniquos et dementes, ut ad multorum unare gloriam, nichil approbatos et adamantinos, sicut hanc despiciere. Ideoque ualde forti opus est anima ad hunc obuiaturo impetum et uiolentiam spiritus. Etenim cum bene prosperetur, omnibus seipsum preponit, et cum contraria sustinet, suffodere seipsum uult, et idem ei gehenna et regnum, cum **resupinus** ab hac fuerit passione.

Commented [ND27]: [fol.140rb]

Commented [ND28]: hominem add. super lin.

Commented [ND29]: placentur add. super lin.

Commented [ND30]: uel commouens add. super lin.

Commented [ND31]: uel inuidendum add. super lin.

Commented [ND32]: uel cuius add. super lin.

Commented [ND33]: [fol.140va]

Commented [ND34]: uel summersus add. super lin.

Haec igitur inuidis digna sunt dic michi? sed non luctibus et lacrimis? omnibus quippe est manifestum. Tu autem idem facis inuidens approbato, sicut si aliquis ligatum uidens et flagellatum, et a decemmilibus attractum feris, emularetur eum ob uulnera et flagella. Etenim quot homines plebs habet, tot et hic uincula, tot et dominatores, et quod utique difficilium est, quoniam et diuersum horum unusquisque consilium habet, et quae superueniunt ei qui seruit eis, diiudicant omnes, nichil examinantes, sed quae illi uel illi uidentur, hec et ipsi decernunt. Quibus igitur haec procellis, quibus fluctuationibus, non sunt difficiliora? Etenim et inflatur repente delectatione hic talis et reprimatur rursus facile. In inequalitate quidem est semper, inquiete autem numquam existens, ante spectaculum enim et agones qui in dicendo sunt, in agonia et tremore detinetur. Post spectaculum autem uel moritur a desiderio, uel laetatur rursus immoderate. Quod tristitia est difficilium. Quoniam enim delectatio non minus tristitia est malum, manifestum ex his quibus animam disponit. Etenim et leuem eam facit et sublimem, et hoc et a prioribus uiris est uidere, quando itaque bonus fuit dauid, quando letabatur, uel quando in angustia erat? quando iudeorum plebs, quando ingemiscebant, et deum inuocabant, uel quando letabantur in heremo et uitulum adorabant. Ideoque salomon qui maxime omnium nouit, quid est uoluptas, ait. Melius est ire in domum luctus quam in domum risus. Ideoque christus hos quidem beatificat dicens. Beati qui lugent, illos autem miseros uocat. Ve enim uobis qui ridetis, quoniam flebitis. Et ualde decenter. In lasciua enim laxior et mollior est anima, in luctu autem comprimitur et sobria fit, et ab omnium passionum congerie eripitur, et excelsior et fortior efficitur. Haec igitur uniuersa scientes fugiamus gloriam, quae a multis est, et uoluptatem quae ex ipsa est, ut et uera gloria et manente semper potiamur, qua fiat omnes nos frui gratia, et filantropia id est amore hominum domini nostri ihesu christi, cui gloria et imperium et honor nunc et semper et in secula seculorum amen.

Commented [ND35]: [fol.140vb]

Commented [ND36]: concupiscentia *add. super lin.*